

“ Antequam progrediar, non ab re fortasse fuerit objectioni alicui quæ in me moveri potest occurrere. Non deerit scilicet qui me vanæ curiositatis arguat, quod res adeo viles et abjectas, nullius in vita usûs, indagaverim, iisque describendis tantum temporis et operæ impenderim.—Cui respondeo, Quod DEI opera sunt in quibus contemplandis memet exerceo: quod Divinæ Artis et Potentiae effecta, quibus exquirendis subsecivas horas addico: quod ILLÉ me in hunc mundum introduxit, tam inexplicabili rerum varietate instructum et ornatum; quod oculis, quos mihi contulit, ea videnda, animo consideranda objecerit. In DEI ergo contumeliam redundat, quod hæc, quæ eum creâsse negare non audes, supervacanea et inutilia esse affirmes.—Dices, Majora et magis necessaria studia sunt, quæ totum hominem requirunt. Respondeo, Majoribus istis me majorem curam impendere, interim tamen minora hæc et leviora non opus est ut prorsus negligam: Utrique penso sufficio; utrique temporis abunde suppetit, modò id prudenter dispensem, modò caveam ne qua ejus pars omnino vacua præterlabatur. *Vitam* (ut rectè Seneca) *non accepimus brevem sed fecimus, nec inopes ejus, sed prodigi sumus.* Deinde Medici etiam severiores aliquam temporis portionem recreationibus deputant. Hisce ego studiis et inquisitionibus memet recreo et oblecto. Quod alii venationibus, aucupiis, confabulationibus, lusibus insunt, illud ego “Zoophytis” indagandis, colendis, contemplandis impendo. Recreat et refocillat animum, quamvis laboriosum sit, illum quocunque oblectatur.” RAIUS.